



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

Cap. XVII. De eodem Argumento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

*De eodem Argumento.*

## CAPUT XVII.

**V**irginis hujus dicta haud medio-  
criter Desiderio arridebant :  
quamobrem ait ad eam : **D E S I D E R.**  
**P**recor, sotor mea, id me instituas,  
quibus studiis aut adminiculis hoc  
sanctum liceat desiderium adipisci.  
**V I R G.** Duabus rebus id potest ob-  
tineri : puta Amore **D E I**, & sancto  
Proposito tete sub cunctis mortali-  
bus ceu vile jumentum submittendi  
ac abjiciendi, cui Superior nostra  
Humilitas nupsit. Quòd si dictis  
meis morem gesseris, haud vulgari-  
ter ad hanc meam capessendam vir-  
tutem te senties adjutum. **D E S I D.**  
Libenter iis, quæ dictura es, ob-  
temperabo. **V I R G.** Ita tibi planè  
persuadeas, Amorem **D E I**, cujus  
te usque adeò cupidum ac amantem  
declarasti, nullum capitaliorem ac



infestiorē, magisque contrarium  
habere hostem, atque corpus tuum.  
Hanc igitur tibi sūme consuetudi-  
nem, ut semper manē sic animæ tuæ  
loquaris: Agedum, videamus Ani-  
ma mea, uti hac die corpus istud im-  
probū, dulcissimo JESU Domi-  
no ac Creatori tuo inimicum, odio  
sis habitura, appetituraque, ut con-  
temnatur, divexetur, ac affligatur.  
Vesperī autem ita illi dicas: Vide-  
mus nunc Anima mea, ut hac die  
corpus istud improbum, Domino  
JESU adversum & rebelle despexe-  
ris ac depresseris, utque idem ab  
aliis affligi, contumeliis & probris  
affici optaris: itemque ut nihil il-  
li remittere, nihil impunitum di-  
mittere, sed in omnibus severē ipsum  
persequi conata sis. Hæc si feceris,  
mi frater, atque in hac cogitatione  
perpetuò versatus eris, simulque in  
te desiderium perseveraverit, Do-  
mini tui ac Animæ tuæ hostem jugi-  
ter persequendi ac profligandi, vel  
hoc



hoc unum exercitium ad ingentem  
humilitatis virtutem & perfectio-  
nem, sublimemque gradum tete per-  
ducet: atque inde tui ipsius carnisque  
tuæ tanto accendêris odio, ut ipse te  
contemni ac vilipendi petas. Porro  
ubi id evenerit, ut ab aliquo con-  
temnaris, mihi meæque virtuti for-  
titer inhæreas, summoperè gauden-  
do, DEOque laudes ac grates agen-  
do, ita dicas: Benedictus DEUS,  
qui me modò de hoste meo ulciscitur.  
Intereà Desiderius ex hujus virginis  
sermonibus non minima est conso-  
latione affectus: cumque illi vale-  
dixisset, à sæpedita Procuratrice in  
alterius cujusdam virginis, quæ &  
ipsa Humilitatis erat filia, cubicu-  
lum introductus est. Hujus voca-  
bulum Simplicitas erat, quæ per-  
amicè Desiderium accepit. Atque  
ubi sessum se recepere, de DEO  
rebusque Divinis ac spiritualibus col-  
loquia miscere cœperunt. DESID.  
De nomine, virtute, & conditio-  
ne



ae tua, mea soror, certiore me  
 facias, oro. SIMPL. Equidem Sim-  
 plicitas vocor: officium autem me-  
 um & actio est, erga quoslibet sim-  
 pliciter, integrè, syncerè, ratio-  
 nabiliter, absque illo fuco vel hy-  
 pocrisi me gerere, atque de omni-  
 bus, quæ vel visu vel auditu perci-  
 piam, nihil mali suspicari, sed ita  
 habere persuasum, cuncta rectè ac  
 sanctè geri: atque ad minus, quan-  
 tum quidem ad intentionem attinet,  
 de nemine, nisi de me sola, opina-  
 ri malum: siquidem meipsam sem-  
 per suspectam habeo, meisque co-  
 gitationibus & affectibus perpetim  
 invigilo, semper mihi prospiciens,  
 dextrumque Sapientix vel Pruden-  
 tix oculum tenens apertum, quò &  
 ipsa malum evitem, & Humilitas  
 Mater nostra cunctis in virtutibus  
 tantò sit valentior ac efficacior.  
 DESID. Quid est, quod audio? Non  
 erit igitur Humilitas virtute prædita,  
 nisi ipsa hunc teneas oculum aper-  
 tum?



tum? SIMPL. Minimè: quando-  
quidem Simplicitas sine Prudentia,  
nullius pensi est, plusque officit,  
quàm profit. Neminem enim dili-  
git Amor DEI, nisi qui cum Sapi-  
entia ingreditur.

*De Simplicitatis moribus  
& conditione.*

## CAPUT XVIII.

**D**ESIDERIUS. Obsero,  
mea soror, dicere ne grave-  
ris, quo pacto erga unumquemlibet  
simpliciter tete geras. SIMPL. In  
tribus ita me gero, puta Cogitatio-  
nibus, Dictis & Factis. Primò  
quidem nihil eorum cogitare soleo,  
quæ meum excedant captum vel in-  
tellectum: neque Mundi hujus ho-  
nores, sublimitates & vanitates au-  
cupor, semper eâ in cogitatione per-  
severans, me cunctarum, quas or-  
bis